

FAUSTÆ. DIEM.
SOLENNI. DOCTORUM. IN. UTROQUE. JURE.
PROMOTIONI.

D. XX. SEPTEMBR. M DCC III.

DESTINATAM.

NOBILISSIMO. ATQUE. AMPLISSIMO.

DOMINO.

MICHAELI. HENRICO.
GRIBNERO.

SUMMOS. EO. DIE. IN. UTROQUE. JURE. HONORES.
BONIS. OMNIBUS. PLAUDENTIBUS.

CONSECUTO.

VERE. FAUSTAM.

PROLIXO. AFFECTU. PRECATUR.

M. LUDOVICUS. CHRISTIANUS. CRELLIUS.

S. S. THEOLOG. BACCALAUREUS. FACULT. PHILOS. ADSESSOR.

MIN. P.P. COLL. H.T. PRÆPOSITUS. ET. SCHOLÆ. AD. D. NICOL. RECTOR.



*Austa dies igitur, fastis spondentibus, almo
Lumine, nunc oritur, re quoque fausta dies.
Fausta dies Musis; Themidi ter fausta quaterque;
Lux, GRIBNERE, Tuis fausta beata Tibi.
Fausta quot illa Tibi renovat lux? Ecce quot illa
Commoda fert studiis accumulata Tuis?
Faustam hæc declarat lucem, quæ lumina vitæ
Clara Tibi quondam, candida dona, dedit:
Faustam, qua primos pietatis & artis amores
Cum lacte hausisti, Pieriumque genus:
Faustam, ex qua Te orbum fida, Menckenius, alter
Cura & mente parens, qua valet arte, juvat.
Faustam, qua tenues etiam rebare Camenas
Possè aliquid quondam, dexter alumne, meas.
Atque magis faustam, Themidis quæ jura verenda
Prompta Tibi & sacras proma reclusit opes:
Quæ Tibi purpureos juveni decrevit honores,
Jureque Doctoris jus in utroque dedit:
Quæ majora Tibi jam dudum præmia spondet,
Et grandem scenam, quam tueare, parat.
Lætor. Prima mihi peperisti gaudia: Musis
Gloria prima meis stas, maneatque precor.
Cumque Tuas Themidis victuro carmine Præco
Ornarit dotes, omina grata fero:
Fausta dies redeat Tibi plurima, fausta Tuisque!
Sæpius & veniat sic mihi fausta dies!*

LIPSIÆ, Literis CHRISTOPHORI FLEISCHERI.